



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De quatuor partibus Missæ, Doctrina, gratiarum actione, Oratione, &
perceptione sacramentorum 87

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

hac de re scripsit, in annotationibus suis in lib. 4. Tertulliani contra Marcionem.

Quod Aduersarij Dionysio iniuriam faciant, dicendo, Quod missam appeller, salutaris hostia oblationem, iam ante dictum est. Debebant S. scripturas in natiuis linguis, quibus ab initio conscripta sunt legere & intueri. Quod de nomine (Communio & *συνάγει*) dicunt, id contra ipsos facit: quoniam in suis missis nullam habent cum populo communionem, nec doctrinæ, nec gratiarum actionis & orationis, nec sacramentorum, quemadmodum Dominus instituit, & veteres perpetuo summa cum religione obseruarunt. Non magis quadrat eorum missis nomen (Collecta) Neque enim populum ad intelligibilem, legitimam & fidelem S. Cœnæ administrationem colligunt, per eamque Christo Domino adducunt.

*Ad Articulum De quatuor partibus quibus constat
Missæ responsio.*

CAP. LXXXVII.



CERTVM est legitimam administrationem S. Cœnæ quatuor istis partibus constare, quæ enumerantur ab Aduersariis, videlicet, Doctrina, Oratione, gratiarum actione, ac perceptione Sacramentorum. Verum etiam est, quod scribunt, Doctrinam & perceptionem sacramentorum præcipuè & peculiariter præsentibus conferre. Item, Quod gratiarum actio cum oratione ita à Sacerdote fieri debeat, vt præsentibus omnes intentionem suam in verba sacerdotis dirigant, & communiter cum eo precantur ac gratias agant. Istæ sunt substantiales partes Missæ: quas quoniam Aduersarij in missis suis nec habent, nec præstant, necesse est ipsas eorum missas non esse Christianas, sed scandalosa missarum simulachra & umbras.

Nam iuxta doctrinam Spiritus Sancti, 1. Cor. 14. hæc tantum sunt Christianæ doctrinæ, orationes & gratiarum actiones in Ecclesia Dei, quæ ex spiritu Christi ad intellectum præsentis multitudinis proponuntur ac pronuntiantur. Iam verò Aduersarij in missis suis eiusmodi lingua vtuntur, quam Ecclesia Christi non intelligit: plerumque etiam ad hunc modum omnia ligant, vt ne ij quidem, qui Latine nouerunt, quicquam vel paucissima ex illis intelligere & apprehendere possint. Quamobrem nullam doctrinam, orationem aut gratiarum actionem præsentibus multitudini proponunt, sed sunt ei instar barbarorum, loquuntur in auram, ac perinde se gerunt quasi pueri sine & dementes homines, sicut Apostolus hac de re loquitur.

Chrysostomum citant, qui dicit, Populum quando ad salutationem sacerdotis Dominus vobiscum, respondet, Et cum spiritu tuo, testari communem esse gratiarum actionem.

Quis sit igitur vt suum Dominus vobiscum non in ea lingua pronuntient,

cient, & tali forma, vt ad id populus suum Amen dicere possit? Quare etiam non docent populum, vt vnà cum ipsis oret, & gratias agat, què admodum D. Chrysostomus hoc loco ex natura & proprietate Christianæ communionis, & doctrina Spiritus S. i. Cor. 14. testatur ac docet?

Porrò quemadmodum populum tribus istis partibus spoliant, Doctrina scilicet, gratiarum actione & Oratione: sic etiam Sacramentis eum priuant. Communionem enim homines non docent, nec debita religione ac studio ad eam ipsos hortantur: imò quod omnium est grauissimum petentibus eam non integram administrant.

Iam quod de Oratione & Gratiarum actione pro absentibus quoque facienda scribunt, idem etiam liber Reformationis docet, & eiusmodi precandi formas præscribit. De Oratione pro Defunctis postea dabitur differendi locus.

Benè & hoc ab Aduersariis positum est, Nihil debere in missis esse priuatum.

Verum eorum missæ ita celebrantur, vt populo Christi nihil in eis commune fiat, quemadmodum mandauit Christus Dominus, & prisce Ecclesiæ omnes obseruarunt. Articulus igitur iste fermè in omnibus non libro Reformationis, sed Aduersariis aduersatur.

De altera questione principali. Vtrum in Missa quatuor sacrificia offerantur, nempe panis & vinum, Gratiarum actio, & Oratio, Christus Dominus ipse, & Ecclesia Christi.

De primo sacrificio panis & vini.

CAP. LXXXVIII.

DE CORVM quidem esset, Christianarum & primitiuarum Ecclesiarum Dei consuetudini consentaneum, si fideles, quoties ad S. Cœnam accedunt, panem ac potum pro pauperibus secumque adducerent & offerrent Domino: ex quibus portio quædam consecraretur, & distribueretur, quemadmodum ab Antiquis fieri solebat, vt ex eo quod supra ex adhortatione Cypriani ad Eleemosynam adduximus, item ex publicis supplicationibus & precibus tam Græcorum quam Latinorum, quæ super eiusmodi oblationes recitari consueuerant, videre licet. De qua re etiam S. Paulinus de Gazophylacio scribit: *Ne mensam Domini nobis vacuam, egenis verò sine cibis relinquamus: nec ibi ad speculationem tantum, non autem ad participationem stemus, ne pauperum gemitus per nostram socordiam expulsi in nos conuertantur.*

Nihilominus tamè, quoniã Dominus collationem & oblationem cibi ac potus ad mensam sacrâq; Cœnam suam ipse nec instituit, nec in Cœna sua exercuit, nulla Ecclesia ad eam adigi potest. Interea tamè diligenter est monendus populus, vt oblationem ac munus suum ad S. Cœnam adferat, neq; negligat id quod Dominus à veteri populo suo requisit, nempe vt vacuis manibus coram oculis suis non appareant.